



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Peccator blasphematur nomen Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Quid magis impium? quid magis potest esse injuriosum? quam contra tantæ pietatis Dominum; & eum, qui vivit in æternum, illud improbè committere; quod, quantum in te est, non possis in æternum corrigere. Richardus à S. Vict. tr. de pot. lig. &c. c. 4.

Peccasti, hoc est, avertisti te à Deo summo, unico, & infinito, Bono. Aversio autem ab omni bono, necessariò summum unicum, atque infinitum, est malum. Aversio ab omni dignitate, summa abjectio est; ab omni pulchritudine, summa deformitas; ab omni sapientia, summa insipientia; ab omni bonitate, summa est malitia. Conjunge omnes injurias, & contumelias, quæ ab universis creaturis per mille sæcula tibi possent inferri; easque singulatim, & universim gravissimas; nec umbram quidem ad hanc, quam Deo tuo intulisti, adferes. Masenius Dux viæ die 2. med. 2. puncto 1.

§. II.

Peccator blasphematur nomen Dei.

Nomen Dei per vos blasphematur in Gentibus. Rom. 2. Petimus, ut nomen Dei actu nostro sanctificetur in nobis: nobis enim bene agentibus benedicatur nomen Dei; nobis malè agentibus, blasphematur. S. Chrysol. l. 71.

Nullum penitus majoris piaculi crimen est, quam blasphemandi causam gentibus dare. Salvianus l. 4. de Prov. Dei.

Ego puto, quòd non solum ille maledicat Christo, qui sermonem adversus eum maledicum profert; sed & ille, qui sub nomine Christiani malè agit, & turpiter conversatur, & inhonestis verbis, vel actibus suis, facit nomen ejus blasphemari inter Gentes. Orig. hom. 17. in Num. 23.

§. III.

Peccator negat Deum.

Aominabiles facti sunt in iniquitatibus. Ps. 52. 2. id est, voluntatibus suis; dicunt in corde suo, non est Deus. v. 1. Ille in corde suo negat Deum: nam, si verè in Deum crederet, nullà in eum pravitatem peccaret. Cassiodorus hic.

Constituentur, se nosse Deum; factum autem negant. Tit. 1. 16. S. Hieron. existimant quidam, in eò tantum Deum negari, si in persecutione quis à Gentilibus comprehensus, se renuerit esse Christianum. Sed ecce Apostolus omnibus, quæ perversa sunt, factis Deum asserit negari. Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo: negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et, quoties vincimur in vitijs, atque peccatis, toties Deum negamus. Escobar t. 2. Perf. Chr. l. 1. sect. 1. obl. 5.

§. IV.

Peccator spernit Deum.

Fac nobis deos, qui nos precedant. Ex. 32.

1. Dominus autem precedebat eos ad ostendendam viam &c. Ex. 13. 21. Aberat Moyses in Sinai, diu cum Domino versatus; populus Aaronem urget, Deum sibi consulari. Si Dominus precedit eos, quid dicere opus? fac nobis &c. sequantur Dominum in columna precedentem. Petunt vitulum, qui ad illorum ducatur nutum; non qui ad proprium placitum eos ducat &c. Naxera in Jos. 24. §. 5.

Violabant me, propter pugillum hordei, & fragmen panis. Ezech. 13. 19. q. d. Audi cælum, & terra! ecce ille populus meus tam dilectus, tot eximijs à me favoribus auctus; acerbissimis in me sævit injurijs. Et ob quæ sua emolumenta? an forsan victi exercitus immensa spolia sibi rapuit, ut Saul 1. Reg. 15. an civis innocui vineam? 3. Reg. 21. 2. ut Achab? an forte aurum, ut Giezi 4. Reg. 6. 23. Ob quod ergo commodum me offendit? propter pugillum hordei. Segneri l. 33. die Ven. D. Pass.

Regnum promittit Deus, & contemnitur; gehennam apparat diabolus, & honoratur. S. Chrysol. hom. 6. in acta.

Quid sibi vult dictum illud Apostoli? Rom. 2. 23. per pravaricationem legis Deum inhonoras. Quomodo, qui regis literas accipit, & in ijs versatur; si omni curâ, honore, atque timore, & studio, eas suscipiat, reveretur, & complectatur; & expeditè sibi præscripta, atque mandata, expleverit; in regem gloria, & honor, redundat: quòd si rejecerit, atque contempserit literas; & tabellarium contumeliosè, & ignominiosè affecerit; in regem ipsum contumelia vergit. Ad eundem modum violantes Scripta magni Regis, immaculatum videlicet ipsius Evangelium, suâ ipsi transgressione præcipientem Christum contemnunt. S. Ephrem lib. Interrogat. q. 2.

Si nos, qui homunculi imbecilli sumus, contemni tamen à servis nostris omnino nolumus; quos, etsi nobis servitutis conditio infirmiores, humana tamen fors reddit æquales: quàm iniquè cœlestem Dominum contemnimus! Salvianus l. 3. de Prov. Dei.

Omnia amamus, omnia colimus; solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est. Denique, præter alia, quæ id probant, indicat etiam hoc res ipsa, quam dico. Si quando enim usu venerit, quod scilicet sæpe evenit; ut eodem die, & festivitas Ecclesiastica, & ludi publici, agantur: quæ ab omnium conscientia; quis locus majores Christianorum virorum copias habet? caveane ludi publici, an atrium templi? & templum omnes magis sectentur, an theatrum? verba vitæ, an verba mortis? verba Christi, an verba mimi? Non est dubium, quin illud magis amemus, quòd anteponimus. Salvian. ib. l. 6.

Christus sub horribili specie ostendens Brigittæ deformitatem ejusdam peccatoris, inter reliqua